

Cum vero a supremo magistratu in continentem misso, 1612
consceleratis facinorosisque hominibus, vel exilio mulctatis,
vel ad transtra ablegatis, vel nece damnatis, tranquillitas ac
securitas parta ingenti subditos lætitia affecissent; eadem re-
medii genera iis in locis, quæ Respublica in oriente possidet,
adhibenda esse Senatus consulto Patres decrevere. Tres lega-
torum quæsitoremque titulo, cum vitæ necisque potestate
missi, qui trans Saffonem Venetas ditiones inviserent: Cor-
cyra lustrata, in Cretam recta contenderent: a ditioribus ac
potentioribus oppressos sublevarent; in magistratus, si quæ for-
te adversus leges fecissent, animadverterent: inde in Tenum
ac Cytheram, Cretæ magistratibus subjectas, idem munus
obituri transirent: in reditu Cephalem Zacynumque ap-
pellerent. Lecti sunt Octavianus Bonus, qui anno superiori
eodem munere in Carnis perfunctus fuerat, Joannes Pascha-
licus, Marcus Lauretanus. Ut vero Cretæ sæpius frumenti
inopia laboranti, quod incolæ vitium lucro illecti agricultu-
ram defererent (cui malo legibus licet severissimis Senatuf-
que consultis nunquam obviam iri potuerat) succureretur,
quingenta aureorum millia eo transmitti decretum, ex qui-
bus frumenta in publica horrea adservanda coemerentur,
quibus opportuno tempore regno subveniretur, & mercato-
rum nimia cupido coerceretur.

*Legati &
Quæitores
in orientem
a Senatu
missi.*

Hæc cum ad maritimas oras tutandas decernerentur, haud
impar sollicitudo in terrestri imperio tuendo adhibebatur; de-
que Rhætico foedere in decem annos icto, cujus novem jam
elapsi erant, instaurando Patres cogitabant. Id ut facilius
consequerentur, Senatus consulto Antonium Mariam Vincen-
tium, a secretis, eo mittere decrevere: qui adeo averfos
animos Rhætorum comperit, ut in veteri cum Republica
amicitia, absque societatis nexu, perseveraturos dicerent.
Huic sententiæ multa prætexebantur: quod privatæ pensio-
nes minime persolutæ, commercia interdicta, erga illos ho-
noris significationes prætermittæ fuissent; licet contra Vincen-
tius affirmaret: Rhætorum consilio, ne privati a Principibus
pensiones acciperent, vetitum; ultro citroque commeandi fa-
cultatem, pestilentia in Helvetiis grassante, ablatam; neque
quidquam, quod genti vel commodo vel decori esse po-
tue-

*Antonius
Maria Vin-
centius in
Rhætos a
Senatu mis-
situr.*